



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

R. P. Ioannis Azorii Lorcitani, Societatis Iesv Presbyteri Theologi, Institvtiones Morales

In Qvibus Vnivers[a]e Qvaestiones ad Conscientiam recte aut prauè
factorum pertinentes, breuiter tractantur

Azor, Juan

Coloniae Agrippinae, 1616

6. Quæ virtutes Reges deccant.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14007

de eo Tyranno loquitur, inquit, Sanctus Thomas, cum dicit laudabiliter occidi Tyrannum: & commendatur Aioth, Brutus, & interfectores Iulij Cæsaris. Quando vero aliquis est tyrannus solum administratione, & gubernatione regni, tunc is nequit licite à priuato homine occidi, quia iure, & legitimo iure regnum possidet. Ergo quamuis tyrannice gubernet, interfici nequit, donec iudiciali totius regni, aut Reipublicæ sententia iudicetur, & condemnetur prius auditus, & data ei facultate, qua excipiat aliquid, ad sese defendendum: est enim contra ius naturale, damnare quempiam non auditum.

Hæc sententia quamuis tot auctorum testimonio comprobetur, mihi tamen dubia est. Primo, quia in Concilio Constantiensi damnatur articulus hic: *Quilibet Tyrannus licite potest à quocumque subdito interfici*. Vbi Synodus generaliter de tyranno loquitur. Ita Sanctus Augustinus lib. 1. de *Ciuitate Dei* ait: *Qui sine aliqua publica administratione maleficum occiderit, velut homicida iudicabitur: & tanto amplius, quanto sibi potestatem à Deo non concessam usurpare non timuit*. Hæc ille. Insuper Aioth non occidit Aeglon Regem, ut priuatus ciuis, sed auctoritate publica, ut electus à Deo, & missus à populo ad illum interimendum. Præterea sanctus Thomas expresse non dixit tyrannum, qui se fecit Dominum, laudabiliter occidi. Huc accedit, quod maleficus, nisi prius audiatur, & iudicetur, intermisi iure non potest. Præterea euidentia patrati sceleris quamuis accusationem, & probationem non postulet, requirit tamen sententiam, ut ait Glossa in capitulo. *Euidencia, de Accusat*. Insuper quamuis huiusmodi tyrannus ius, & titulum non habeat in regno & principatu, factum tamen habet possessionem, è qua deici non potest, nisi prius audiatur, & iudicetur. *Leges Castrenses lib. aduersus hæreses, in verbo Tyrannus*.

Vndecimo quaeritur, An valeant sententia, edicta, & mandata Regis tyrannice dominantis? Distinguentium est: Si tyrannus sit, sola administratione, & gubernatione valent, quia ius & titulum habet, & in hoc communis est sententia. Si vero sit tyrannus iure, & titulo, quia per vim, vel per bellum iniquum regnum inuasit, & occupauit, non valent.

Communiter sentiunt omnes non valere, eo quod sententia à Iudice non competenti lata, vim & locum non habet, & mandata eius, qui legitimus superior non est, non obligant. Hoc vero intelligitur, non valere per se, nam ex accidenti, & aliunde valent, eo quod Respublica in hoc suum consensum præstat expresse, vel tacite.

Duodecimo quaeritur, An subditi Regis tyrannice dominantis, tuta conscientia petere ab eo possint, ut ius ipsi dicat? Haec quaestionem tractat Caietanus in *summa in verbo Tyrannus*, ubi distinguit; Si tyrannus fuerit sola administratione, licite ab eo petere queunt, ut eis ius dicat, quia cum ius & titulum in regno habeat, competens est iudex, & legitimus superior. Si autem fuerit iure, & titulo tyrannus, tunc ratio est dubitandi, quia ex vna parte petunt ab eo id, quod sine peccato ipse præstare non potest, quoniam non est iudex competens, nec legitimus superior. Ex altera parte vero licite videntur subditi ab eo petere, quia alium superiorem adire non possunt, nec videntur in peccato illius consentire, & ius suum petunt.

Dicendum est licite eos ab eo id petere, quia quamuis ius, & titulum non habeat Respublica, tamen tacite consentit in hoc, ut ciuibus ipsi Tyranno facto non iure subditis, ius dicat, ac si esset competens iudex, & legitimus superior.

Decimo tertio quaeritur, An Regi, vel Principi Tyranno ciues parere secundum conscientiam debeant? Respondet in capitulo Iulianus, vndecima quaestione tertia, ex Ambrosio sic habet: *Iulianus Imperator, quamuis esset Apostata, habuit tamen sub se Christianos milites, quibus cum dicebat: producite aciem pro defensione Reipublica, obediabant: cum*

autem diceret eis, producite arma in Christianos, tunc cognoscebant imperium tali, non terra. Et Augustinus in capitulo, Imperatores. vndecima quaestione tertia, ait: Iulianus extitit fidelis Imperator: nonne extitit Apostata iniquus, & idololatra? Milites Christiani seruiertnt infideli Imperatori: ubi veniebant ad causam Christi, non agnoscebant, nisi illum, qui in caelis erat. Quando volebat ut Idola colerent, & eis thura adolerent, præponebant illi Deum: quando autem dicebat: Producite aciem, ut contra illam gentem, statim obtemperabant; & distinguabant Dominum æternum à Domino temporali. Sic illi Patres. Quare dicendum est: Si mandata Principis, alioqui tyranni, sine æqua, & iusta, parcendum est. Vnde Apostolus Petrus, etiam dycolis superioribus obtemperandum esse monet. Si vero fuerint mandata iniqua, hoc est, contra ius diuinum; vel naturale, vel Gentium, vel Ecclesiæ, obediendum est Deo, non homini.

Decimo quarto quaeritur, An Regi focidit, & ignaui possit licite abrogari regnum ob solam eius negligentiam & desidiam? De hac quaestione agit in Glossa e. *Grandi, de supplenda neglig. Prælatorum, in sexto*, ubi videtur sentire, non esse illi regnum abrogandum. Et certe ex illo e. *Grandi*, id colligi videtur: nam Regi Portugallie alioqui ignaui, & desidii, Papa non dixit, adimendum esse regnum, sed idoneum adiutorem dandum. Et alia parte Venceslao Imperatori Imperium est ablatum ob ignauiam solam, & locordiam. Item Zacharias Pontifex, ut habetur cap. *Alius, decima quinta quaestione sexta*, consulus à Francis: Vter potius regnare deberet, ignauius, & negligens Princeps, An vero strenuus, industrius, & diligens? Respondit Papa, strenuum & diligentem: ac ita Franci Childerico è regno deiecto ob ignauiam, hoc est, quia erat ad gubernandum inutilis & ineptus, Pipinum Regem creauerunt. Quare dicendum est. Si communi Reipublicæ salutis commode consulitur idoneo adiutore dato Principi negligenti, & ignaui, Papa iure potest dare adiutorem, ut in e. *Grandi supra citato*. Si vero aliter Reipublicæ pax, & tranquillitas, & salus conseruari commode nequit, nisi Princeps ob ignauiam regno spoliatur, tunc licite è regno deiecitur, ne oriantur in Populo scandala, seditiones, & mala deteriora.

CAP. V.

Quæ virtutes Reges deceant.

IN primis Regem statuo maxime decere pietatem, & Religionem in Deum: vnde primo Paralipomenon vigesimo octauo, filium suum Salomonem iam moriturus his verbis DAVID alloquitur: *Tu autem Salomon fili mi, scito Deum patris tui. & serui ei corde perfecto, & animo voluntario. Omnia corda seruatatur DOMINVS, & vniuersas mentium cogitationes intelligit. Si quaesierit eum, inuenies: Si autem dereliqueris eum, projiciet te in æternum.* Teste Aristotele libro septimo Politic. capitulo octauo, [In Reipublicæ administratione prima omnium est curatio rerum diuinarum] Sic ille. Nam pietas & religio in DEVM, cultusque diuinus cunctis procurationibus & muneribus, publicis & priuatis debet iure diuino & naturali anteferri. De THEODOSIO Imperatore legitur apud Theodoretum libro quinto capitulo trigesimo sexto, cum aulam suam veluti scholam, in qua ad pietatem se, suosque exercuit, instituisse, temporaque distribuisse lectionum, psalmodiarum, ieiuniorum, immo & vigiliarum. CHRISTVS Dominus dixit: *Quærite primum regnum Dei, & iustitiam eius & cætera.* Firmissimum est Reipublicæ fundamentum, & Religio, quæ DEO debitum cultum, & honorem defert: qua neglecta, nihil potest esse in Republica præclarum, stabile, & firmum. Vnde Augustinus in Opusculo, de duodecim gradibus

bus

2. Par. 17.

bus abufionum, in gradu 6. Sicut paxillus, inquit, nisi bene fixus firmiter alicui fortiori adhaereat, omne quod in eo pendet, cito delabitur, & ipse solutus à vigore sua firmitate, cum omnibus, ad terram delabitur: Sic & Princeps, nisi suo Conditori pertinaciter adhaerit, & ipse, & omnia qui ei consentit, cito deperit. Tullius in orat. de Aruspice, respon. ait, Romanos non caliditate, aut robore, sed pietate, ac religione omnes gentes, nationesque superasse. Lactant. lib. de ira Dei, capitulo duodecimo, Religio, inquit, & timor Dei solus est, qui custodit hominum inter se societatem. Tolle, ait capit. decimo octavo, hoc vinculum, vita hominum stultitia, scelere, & immunitate complebitur. De Iosaphat legimus, eo quod pius, ac religiosus esset, à Domino pace diuturna, & amplissimis diuitijs, numerosissimisque exercitijs donatum, diu regno praefuisse. Contra vero, reges pietatis & religionis contemptores, infeliciter & vixisse, & decessisse. Regum est religionem colere, tueri, fouere, & conseruare.

Prouerborum vigesimo nono, Cum impij, ait Salomon, sumpsint principatum, gemit populus. Cyrillus lib. de Recta fide, ad Theodosium: Gloriosa, inquit, in Deum pietas regijs honoribus immobile fundamentum est. Impij reges misere, ac mali male pereunt: Contra vero, pietatis cultores sine labore vincere solent, & aduersarijs praeualere. Nicephorus libro decimotercio Ecclesiasticae historiae, capitulo primo, Theodosius, ait, moriens nihil aliud filijs mandauit, quam ut eam pietatem integram seruariet, per quam eos assenerant pacem habituros, & bella sopitos, trophaeaque excuturos. & vitoriam à Deo consecuturos esse. Leo ad Theodosiam Augustum, Epistola undecima, ita scribit: Pro integritate fidei Catholicae, Christianissimum Principem conuenit esse sollicitum. Et Epistola vigesima quinta ad eundem: Defendite contra Haereticos incanctum E C C L E S I A E statum, ut & vestrum Christi dixerat defendatur Imperium. Gregorius Reginae Francorum Epistola quinquagesimaseptima libro nono: Facite quod Dei est, & Deus faciet quod vestrum est. Auctori operis imperfecti in Matthaeum Chryostomi nomen ferens, in homil. prima. Quicumque regem, inquit, placuerunt Deo, diuini regnauerunt, & prosperati sunt, & inimicos eorum humiliavit Deus sub manibus eorum. Quotquot autem maligne gesserunt, velociter & à regno, & à vita cum amara morte praefissis sunt, & humiliavit eos Deus sub inimicis eorum. Sanctus Thomas libro secundo, de Regimine Principum capitulo vltimo. Diuino cultui Rex, inquit, toto conatu incumbere debet, tanquam debito finitio: non solum quia homo est, verum etiam quia dominus, & quia rex est. Omnes autem reges, qui religiosi fuerint suum cursum feliciter consummauerunt: qui vero contra, infelicem consecuti sunt exitum. Tradunt etiam historici, quod in qualibet Monarchia ab initio saeculi, tria se invicem comitata sunt, Diuinus cultus, Sapientia Scholastica, & Sacularis potestas: qua quidem tria se inuicem per ordinem consequuntur. Sic ille, Detestetur Rex absurda & impias voces illorum, qui dicunt Principi non tam colendam pietatem, quam dandam operam, vt sancte & pie colere videatur simulando, dissimulandoque, vt pueros talis, sic viros iuramentis fallendos esse. Haec ex Patrum Doctrina, nec ex Christiana religione, immo nec ex vera philosophia morum profecta sunt.

Decet item Reges clementia, lenitas, humanitas, mansuetudo. Qui vult amari (dixit quidam) languida regnos manere. Nihil est, dicebat Antoninus Pius, quod Imperatorem Romanum magis commendat gentibus, quam clementia. Odus (vt dixit Euripides) Deus nimis vehementes imperat. Odere eius, Gratiores moderatio. Vnde pius ille Rex, & Propheta Deum precabatur: Memento Domine David, & omnis mansuetudinis eius.

Et de Mose numerorum ad decimo, dicitur: Erat Moyses vir mitissimus super omnes homines, qui morabatur in terra. Cicero in Oratione pro lege Manilia? Frugi hominem dici, non multum laudis habet in rege: fortem, iustum, seuorum grauem, magnanimum, largum, beneficum, liberalem, & mansue-

tum: haec sunt regia laudes. Basilius Hexameron homil. 8. Est quidem aculeus apum regi, sed non vitur eo ad vitionem. Leges quaedam haec sunt natura, non scripta, vt tardi sunt ad vindictam, qui ad maximas potentias sunt euerti. Claudianus Poeta:

Sis pius in primis: nam cum vincamur in omni Munere, sola Deus equat clementia nobis.

Salomon quoque Prouerborum vigesimo, Misericordia, & veritas, inquit, custodiunt regem, & roboratur clementia thronus eius. Plutarchus in vita Demetrii: Regem Antigoniun dixisse tradunt, benevolentiam sibi semper visam optimum regni fundamentum, verissimum praesidium. Item in vita Arati: Vera ac stabilius ciuium benevolentia, optima principis custodia est. Latrones rupes, & saxa incolunt, & praecipitjs se tuentur: Regi autem nihil fide ac benevolentia firmitus, aut munitius esse potest. Sic ille, Procul absint à Regibus ijs adulatores, qui monent, non floccipendendum Principem si crudelis habeatur, modo hac via subditos dicto audientes efficiat. Oderint, dum metuant. Non haec veri Philosophi docuerunt, sed Tyranni, qui timeri, non coli, & amari voluerunt. Nihil violentum perpetuum. Qui amat, offendere metuit quem amat: qui vero metuit, nec amat, is odit, insidiasque, vel machinatur, vel oblatas accipit.

Tertia virtus Regum est Liberalitas: de qua dixit Polybius: Principis est benefaciendo vniuersis, liberalitate & clementia sponte subiectos gubernare. Marior Romae reperitur est, in quo scriptum erat: Potentissima dos in principes, liberalitas atque clementia. Nihil est quod magis populos turbet & ciues, quam si videant annonae caritatem, si inopia & penuria laborent, Milites donis, populus annonae abundantia penitus conciliantur.

Quarta virtus Regum, est iustitia: cuius est suum cuique tribuere. Vnde Salomon Prouerb. nono, Rex iustus, inquit, erigit terram. Rex qui iudicat in veritate pauperes, honoris eius in aeternum firmabitur. Psalmo septuagesimo optimo ait Dauid: Deus iudicium tuum regi da, & iustitiam tuam sicut regis. Traianus Praefecto praetorio dixit: Accipe hunc gladium, & si iuste imperauero, pro me vitor: Sin minus, contra me. Plutarchus in vita Demetrii: Nihil tam egregium tamque proprium Regis esse videtur, quam iustitia opus. Mors enim, Timor haec, inquit, Tyrannus est. Lex autem omnium rex, iuxta Pindari poeta sententiam: Atque Reges, vt inquit Homerus, non expugnatrices urbium machinas, erant naues, sed iustitiam ab Ioue sumptam exercere, custodireque decet. Idem in vita Aristidis, iustitia quidem causa est, vt Principes amentur, honorentur, colantur. Augustinus libro quarto, de ciuitate Dei capit. quarto: Remota iustitia, quid sunt Regna, nisi magna latroecia? Gregorius libro septimo Epistolatum. Epist. 120. Summum in Regibus bonum est iustitiam colere, ac sua cuiusque iura seruare, & subiectis non frueri, quod potestatis est fieri, sed quod aequum est custodire. Hieronymus in libro secundo Paralipomenon: Rex, & populus obedire Deo debent, & legi eius: Populus erga Regem fideliter agere, & Rex populum cum iustitia regere. Haec ille, Iustitia est, qua Rex Iudices & Magistratus constituit, leges sancit, delicta & scelera vindicat, bonos praemijs debitis afficit: Militibus, & alijs debita stipendia persoluit: honorum, dignitatum & officiorum titulos, & iura distribuit: tributa, vectigalia, & opera iusta imponit. Rex iudices constituit iuris peritos, bonos, integros, incorruptos: non delectatur seutris, adulatores, assentatoribus, detractoribus: non grauat subditos immodicis oneribus, vectigalibus, Pastoris est pecus tondere, non deglubere.

Quinta virtus, quae in Rege laudem magnam habet, est Fortitudo, & praestitum bellica. Porro fortitudo in rebus aduersis, arduis & periculosis maxime apparet. Magni, & fortis animi est, ait Cicero in lib. de officijs, nihil extimescere, omnia humana despicere, nihil quod hominis accidere potest, intolerandum putare.

Sexta Retum agendarum prudentia, scientia rei militaris. Falsa prudentia est, sub specie prudentiae, dolis, astu, fraudibus vti. Absurda sunt illorum, qui Principibus

Psalm. 131.

Azor. Inst. Moral. Pars 2.



adulantur, voces, cum aiunt ea promissa seruanda, quæ regijs commodis inferunt. Ita Principem seruare fidem debere, vt cum id regia utilitas flagitauerit, eam violare non debeat: Malis moribus implendam ciuitatem, vt quam liberit, vindictam sumere possit: alendas & fouendas inter subditos factiones: & boni publici studiosos & mediocriter tollendos.

Cætera mortalium in hoc statu consilia, quod sibi conducere putant. Principum diuersa fors est, quibus præcipua ad famam dirigenda. Hæ assentatorum sunt voces. Quanta erit Principis auctoritas, si fœdistragus sit, si perfidus, si periurus, si diffidens, si dissimulans? sublata fide, iustitia cum humana societate conuellitur. Detestanda duo vitia, videlicet: Nunquam dicere quæ facturus sis. Nunquam efficere, & præstare quæ dixisti.

Septima Regis virtus est Magnificentia, cuius est impensis & sumptibus non parcere. Regum est magnifica templa extruere, cœnobiaz edificare, amplissimis donare redditibus, Academijs publicas erigere, Dei ministros sustentare, pauperum inopiam subleuare, captiuos redimere, viduas & orphanos alere, Hospitales domos communis pietatis gratia construere.

Non est Regum & Principum tempus conterere in minimis, vt in vulcibus confingendis, quod faciebat Domitianus; in lucernis faciendis, vt Eropus Macedoniz Rex: in simulacris & cæra fingendis, vt Valentinianus: in mechanicis fabricandis, vt Ptolemæus Philadelphus Ægypti Rex: in curandis & pascendis accipitribus & canibus venaticis. nec enim debet Rex nimiaz venationi se dedere, vt Michridates Rex Ponti, aut otio, ignauiaz & socordiaz indulgere, vt Wenceslaus Imperator.

Octaua Regum virtus est, Magnanimitas: cuius proprium est magna & excessiua virtutum opera præstare, honore, laude & gloria digna. Nam quamuis virtutis opus non debeat esse honoris & gloriæ studio, quæ minora sunt bona, quam virtus: at ipsa virtutum opera per se sunt digna honore, laude & gloria, quippe quæ virtuti debentur.

C A P. VI.

De Regum vitijs, & peccatis.

Nomine Regum in præsentî capite intelligimus, quosuis Principes supremam potestatem in ciuilibus, siue temporalibus rebus habentes. Vitia itidem, & peccata intelligimus non ea, quæ sunt Principum, & priuatorum hominum communia, sed ea quæ sunt propria Principum.

Turpis admodum est in Regibus immodica regnandi libido, nimia dominandi cupiditas. Vnde peccata multa oriuntur, dum Rex inique aliena regna, Principatus & ditiones quærit, vel concupiscit, aut inique parra non restituit, nulla iusta causa ab hoc excusante. *c. Quid culpatur 23. quæst. 1. cap. Si res 14. quæst. 6. Nauarrus in Manuali, ca. 25. numero primo.*

Item cum Rex inique bellum indicit, infert, aut gerit, videlicet absque iusta causa, vel contra, siue præter ius debitum alteri, & tunc secundum conscientiam cogitur ablata restituere, illata damna rescire. *S. Thomas secunda secunda, quæstione 40. articulo 1. Nauarrus in Manuali, cap. 25. numero 6.*

Item, peccat Rex, qui cum alio Rege Christiano dubiam aliquam & antiquam litem, vel controuersiam habens de aliquo Regno, Principatu, vel Ditione, quæ iure extingui non potest, eo quod superiorem non habent: neque bello dirimi, quia sunt æque potentes, & neuter alteri bellum inferre valet sine ingenti detrimento, & scandalo, renuit in arbitros omni suspitione carentes compromittere, aut recusat omnino petere, vel accipere con-

ditiones æquas & iustas, quibus pax reconcilietur, aut confirmetur. *Nauarrus in Manuali, r. 25. n. 4.*

Turpis quoque est in regibus ignauia & socordia, quæ multorum est peccatorum mater. Peccat Rex, qui regni sui arcem muniendam non curat, ita vt inde populus, vel scandalo offendantur, vel occasionem arripiat cõuentioni Principum, vel coniurandi aduersus eum aut rebellandi, aut periculum probabiliter creetur, ne hostis regnum inuadat & occupet. *S. Thomas de Regimine Principum, lib. 2. cap. 11. Nauarrus in Manuali, c. 25. n. 3.*

Peccat itidem Rex, cum ob inertiam, & ignauiam publicas Regni vias non rescit, non munit, non custodit, ita vt viatores graui detrimento & damno afficiantur, *S. Thomas libro citato capitulo. duodacimo, & 15. Nauarrus libro allegato, num. 4.*

Peccat etiam Rex cum pauperibus, viduis, aut alijs personis, quas leges & iura miserabiles appellant, extremam vel grauem necessitatem passis, & ab ipso subsidium petentibus, non subuenit, cum commode possit. Peccat item, cum subditos per socordiam non prohibet ab usurpando alieno, vel à furtis, aut rapinis, adulterijs, homicidijs, periurijs, falsis testimonijs, fraudibus, dolis & iniquis artibus nocendis proximo, & æquitatem & iustitiam violandi, & secundum conscientiam cogitur rescire damna. *Richardus in 4. dist. 15. art. 5. Nauarrus lib. supra cit. n. 8.*

Peccat insuper, cum ita negligenter se gerit, vt nihil curet abolendas populî consuetudines prauas & illicitas, veluti usuratum, contractuum lege diuina, naturali vel Canonica prohibitorum Ludorum, qui exercentur atque spectacolorum, quæ exhibentur cum probabili animi vel corporis periculo: aut cum nihil curat, si præcia rerum venalium sint iniusta: Si pondera vel mensuræ sint diminutæ, aut minores, quam leges & iura postulant. Si factiones aut seditiones fouerit, aut sedandas non curauerit: Si ob desidiam eius populus annonæ penuria, vel aliarum rerum necessariarum ad victum, caritate laborauerit: Si leges Reipublicæ vitales & salutares non dederit, aut datas, custodiendas nihil curauerit: Si necessaria ad Regiam familiam sustentandam non prouiderit. Si pecunias, & alias res pecuniæ æstimabiles, quibus Regnum defendi & conservari debet, non parauerit. *Nauarrus in Manuali capitulo 28. numero primo secundo, & tertio: ex Sancto Thoma, & Sancto Antonino.*

Fugienda est Regibus & Principibus prodigalitas: nam regni vires enervantur & debilitantur profusis principum largitionibus: vnde fit, vt vestigalia & tributa à subditis exigantur maiora quam par sit, & debita contrahantur plura, quam æquum sit, grauissimis oneribus populus grauetur. *Nauarrus loco cit. nu. 3.*

Detestabilis est in Regibus iniustitia: Regum enim est suum ius cuique tribuere. Peccant Reges, si tributa iniqua subiectis sibi populis imponant: si antiqua augeant: abique publica Reipublicæ necessitate, & secundum conscientiam restituere debent, quæ ita extorquentur, *capitulo. Milicia, vigesima tertia, quæstio prima.* Peccant itidem, si subditos cogant sibi domos edificare, agros colere, vineas fodere, putare vites, aut alia similia facere non solum illis debita sui laboris mercede. *Sanctus Antoninus par. 3. sit. 3. cap. 4. §. 4. Nauarrus loco cit. nu. 6.*

Peccant, cum leges iniquas condunt, videlicet contra ius diuinum, naturale, vel Canonicum: nimirum, dum Clericos, & Dei ministros vexant, impediunt, aut insectantur: Dum iura vel bona Ecclesiastica sibi arrogant & usurpant: dum sacris ædibus tamquam profanis vruntur: dum hos vel illos dispensationis priuilegio à lege diuina vel naturali sine iusta & debita causa solunt: Dum non sistant, vt Reipublicæ immunitatibus sibi iure diuino vel naturali concessis gaudeant: dum minis aut importunis precibus, aut per vim vel fraudem compellunt subditos ad donandum sibi bona sua, & secundum conscientiam debent donata restituere: neque enim talis donatio vim & locum habet: nec Reges sunt domini eorum